

1373

P O L E M I C I

1374

negotiorum *Amsteloami* agebat, neque biennio supervixit. Ad de de eo, ejusque Scriptis *Lexicon Univ. lit. K.* Codicem nostrum, ut *Tolandii* verbis c. 5. *Nazar.* p. 15. utar, habuit *out of the library of a person of great name and authority in the said city (Amsterdam) who during his life was often heard to put a high value on this piece.* Addit *Miscel. Vol. I.* p. 381. *There's but one copy of it in Christendom, accidentally discovered by me at Amsterdam in the year 1709. and now in the Library of his most serene Highness Prince Eugene of Savoy.* Pluribus abstineo; nam et *Bern. Moneta*, *Tolandusque*, et ex utroque *Fabricius locc. citt.* tam de totius Codicis ratione, quam de impudentibus ejus technis, quantum satis est, retulere.

DCIX.

U. 454 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 321. f. per duas columnas exaratus, et rubricis distinctus, sed situ multis locis satis evanidus absque titulo continet *Richardi Radulphi Fil.* sive *Fitzralph* Responsa ad *Quaestiones Armenorum* Libris XIX. inclusa, quae etiam nomine *Summae*, seu de *Erroribus Armenorum* veniunt. Praefatio incipit: *Reuerendis in christo patribus Nersi archiepiscopo mansgarden. Ac fratri iohanni electo Clacen. maioris armenie Richardus Radulphi (fil.) archiepiscopus Ard-machanus primas bibernie per gratiam seire iusticiam, donec hauria-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

tis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Ex relatione vestre sancte deuocionis &c. Romae nempe aut *Avenione* cum illis congressus erat Noster, unde et egregio Operi suo formam Dialogi inter *Johannem* et *se* dedit. Init illud: *Johannes. Quia ex literali sensu scripture sacre intendis in hoc opere tractare armenorum propositas quaestiones &c.* Ut in *Exemplo*, quod recensui *Vol. I. P. 2. col. 2069.* et in *Edit. Parisina* f. a. (1511. aut 12.) f. correcta, ut praefert, per *Johannem Sudoris* (le Sueur) qui tamen in hac correctione tam parum sudavit, ut Codex noster *ms.* fit correctior.

Thecae ejus interius utrinque adglutinata est Membrana 4. angustis columnis eleganti caractere exhibens Textum propheticum *hebr.* punctatum, et quidem anterior magnam partem *Sophoniae* a C. I. v. 9. et *Aggaei* initium, posterior vero reliqua *Sophoniae*, et *Aggaeum* usque ad C. I. v. 12. Reliqua improbe resecta sunt.

DCX.

Codex membraneus lat. Sec. E. 5 XV. Folior. 211. 4. maj. non una manu, caractere tamen atro luculento per totum scriptus, rubricis enotatus, a *Leibnitio* oblatus *Herói Eugenio Sabaudico*, sed ante *Episcoporum Varmiensum* fuit; legitur enim *fol.* Codici praetexto: *Iste est Liber Henrici Episcopi Warmien.* quem *Henricum* ordine IV. habeo, dictum *Heilsberg de Vogelsang* et functum munere

R

ab

1375

C O D I C E S

1376

ab a. 1401. ad a. 1415. Item ad calcem fol. 80. p. 2. *Iste liber spectat ad librariam (litura) quem comparavit Dominus Henricus Episcopus; rursus litura, ita tamen, ut vox Warmiën. transpareat. Facile igitur primum istud in Codice Opusculum Seculo XIV. nondum exacto scribi potuit. Insignitur autem illud: Incipit libellus contra precipuos errores grecorum editus a fratre Bartholomeo constantinopolitano. Ordinis fratrum predicatorum. Ad instanciam fratrum inter grecos commorantium. Initium est: Licet grecorum ecclesiam virtutum floribus et phylosophie studijs olim decoratam nouerimus &c. et finis: Omnes qui tenditis archum debellate eam in (lege id est) babilonem. Adhaeret Quaestio: Quando greci fuerunt excommunicati. Atque una cum hac Quaestione recensui Libellum in priori Volumine inter Codices Polemicos N. CCCLXXII. quo Lectorem dimitto.*

II. fol. 81. Tractatus ἀνεργαφός contra Wiclefistas et Hussitas, cujus initium: *Fussit vestra reuerendissima paternitas ac metuentissima dominatio talia que negare phas non est &c. et finis: et in eadem fide et obediencia romane videlicet ecclesie semper fuit gubernata ecclesia christi. Amen. Additur: Scriptus est presens liber sub anno domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo secundo. Saepius relatus est et ipse priori Volumine, et praecipue inter Codd. Polem. N. CCCCXII. scriptus a. 1426. addito nomine Autoris Petri Tzsch*

f. Tzech de Pulka Austrii, de quo actum ibi.

III. fol. 91. Tractatus inscriptus: *Contra errores waldensium. Incipit: Prmo quia dicunt heresiarchas suos quos fratres nominant et in confessione dominos appellant esse veros discipulorum christi successores &c. Novem Errores per cententur adlita singulis refutatione e sacris literis. Mox sub ingressum objicitur Waldensibus nocturna praedicaio, quando familia christiana domit quam familiam inter se uocat dij fremdem, quasi dicas profanos. Unde Tractatus Germaniam prodit Patriam, et ita ad calcem scriptorum Petri de Pillichdorf ejusdem argumenti editus est a Jac. Gretsero, et hinc in T. XXV. Bibl. PP. Lugd. p. 302. repraesentatus. Amplius tamen Exemplum ms. nactus erat Gretserus; dum enim Nostrium in errore nono ita sistit: *spiritualem utilitatem uiderit expedire; illud decimum cum sua impugnatione superaddit. In calce Nostri ea, quae supra notavi, confirmantur: Hunc librum scribi fecit Dominus Franciscus Episcopus warmien. Anno Domini M^o CCCC^{mo}. XXX. Franciscus Kueschmalz fedit ab a. 1424. ad an. 1457. Ejus nomen rursus hic scalpello lectorum oculis paene subductum suspicionem facit, Codicem piceis quibusdam manibus olim adhaesisse.**

DCXI.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 1067 XVIII. Folior. 207. 4. nigro rubroque